



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Coppensteinii, Ordinis Prædicatorum  
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ  
Calvino-Catecheticæ**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Moguntiaë, 1626**

Ad Qvæst. LXI. Cur non Sola Fide te iustum esse affirmas?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35247**

*Porro*, quoties aduersarii Pontificios mentiri dicunt, quod *Solam* & *nudam fidem iustificare* dicamus. At in Actu iustificationis *Solam* iustificare dicitis; extra cum Opera cum fide coniungitis. Ergo. Vide meum *Luthero-caluinistam part. 4. q. 56. 57. 58. 59. Antichristum part. 4. q. 32. & in Antipapista Mendace par. 4. q. 3.* Atque illud est ipsum quod Pontificii de aduersariis dicere eos asserunt: sed refutant. Proinde frustra eos recitat Minister.

AD I. NON NISI quandoque significat **TOTALEM** causam; quandoque **ALIQUAM** seu partem. *Aliquam* significat Gal. 2: vt recte P. Sandæus. Salmeron *Fidem Solam* admittit, sed vt primariam in iustificatione ac fundamentalem; at non negat quin ei debeant opera superædificari.

Sic & Italica Versio intelligenda est.

Apud S. Patres & Pontificios istud *Non nisi* sumitur promiscue, prout res tulerit, imo pro *aliqua*, nunc pro *Totale* causa rei, qua de sermo. Itaque *Non nisi* subinde significat *Tantum totaliter*; subinde *Tantum ex parte*, pro re nata.

Demum in hisce: *Nemo scit, nisi Pater: Non licet. &c. nisi Sacerdotibus*: istud *Non nisi* significat **TOTALEM** causam: quia Lex alia *Exclusit aliam omnem* particularem; vt prohibens Deos alienos coram Deo: prohibens Laicos comedere. At istud, *Non nisi per fidem, &c.* *Includit* in se tacite legem *aliam*, de operibus fidei ac iustitiæ: idcirco non potest *Totalem causam* significare.

AD II. Luc 8. *Crede tantum*, 1. Subaudi, pro initio fundamentali: 2. At, porro etiam *Serua mandata*. 3. Quin hoc ipsum *Credere*, est actus fidei, opusque bonum iustificans per fidem infusam. Proinde stat, perstat illud Iacobi: *Non ex fide tantum*: nihilque euincit Minister.

AD III. Scriptura ostendit duos iustificationis modos; sed iungendos, non separandos: scil. *ET ex fide, ET ex operibus* iunctim; non *AVT, AVT.* &c. separatim. Deinde tollit, negat, refutat *opera Legis Veteris* iræ, non Nouæ gratiæ. Et illa, non hæc excluduntur à iustificatione: Fides autem subinde separatim asseritur, sed vt *Principalis*; non vt *Sola*.

AD IV. Consensus S. Patrûm valet, militatque pro dicta iam distinctione.

AD V. Sic & Pontificij, quos allegat Minister, sunt interpretandi; vt qui *Solam* in hæretico sensu *Fidem* acerrimè impugnarunt; & verò expugnarunt: etsi disiectus coluber adhuc subfultibus micet: & hydræ truncatæ capita recresecant.

AD VI. Fateor, falsusque sum, *Nos natura ad omne malum propensos*: sed non *solum ad malum*: Nam etiam ad Bonum morale. Ergo Apologia est *Sycophanta*: & quidem *Solemniter*.

## AD QVÆST. LXI.

*Cur non SOLA Fide te iustum esse affirmas?*

**CALVINVS** *Infl. l. 3. c. 11. §. 19. & c. 17. §. 10.* fufe doce elaborat; doce: que nihil.

**MINISTER** hic excaluinizata remittit ad superius alibi pertractata. Vnum affirmat Parochus, *Nos dignitate ipsius fidei nostræ placere posse Deo*. Quod nego, quatenus fides confidatur vt est *OPUS Ioan. 6. 29. Aug. lib. de prad. c. 6. Et in Ioan. tract. 25.* Sed quatenus est *Organum* vcl *Manus*, qua beneficia Christi amplectimur. Ergo iustificat nos Sanguis Christi: **MERITORIE**; **FIDES ORGANICE** tantum, & **RELATIVE**.

**RESPONDEO**: istud in secunda editione Excaluinizationis meæ hic non reperio; in prima num habeatur, non memini: ipsius exemplar in præsens non habeo. Esto tamen: scripserim, vt reor: verè scripsi: Ac demonstrem in *Luthero-caluin. par. 4. q. 60. & in Antichristo par. 4. q. 32.* Nego igitur *Organicam* & *Manicam fidem* iustificare *relatiuè tantum*; assero *Operosam* iustificare *Meritorie*, vt *causam* secundam: sanguinem Christi verò *Meritorie* *excellentè*, vt *causam* primam.

## AD QVÆST. LXII.

*Cur nostra bona opera nõ possunt esse iustitia, vel pars aliqua iustitiæ coram Deo?*

**CALVINVS** *Infl. l. 3. c. 14. §. 9. 10. 11.* fufe docere videtur idem, quod hic Catechismus refert: ondet.

CAL-